

QUÆSTIO LXXV.

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPUS
ET SANGUINEM CHRISTI.

I. In hac quæstione tractat S. Thomas de re contenta sub speciebus consecratis: et duabus quæstionibus sequentibus tractat de his quætalem conversionem et continentiam consequuntur. Duo ergo in ista quæstione explicat. Primum est de existentia corporis Christi in hoc sacramento, et non existentia panis, per tres priores articulos, ostendens in hoc sacramento realiter esse corpus Christi, non autem substantialiam panis; nec tamen panem

annihilari, sed converti. Secundum est de ipsa conversione panis, ostendens quod potest converti in corpus Christi manentibus accidentibus, quia illa non convertuntur; non tamen manet forma substantialis, quia tota substantialia panis convertitur: quæ conversio fit in instanti, quia fit virtute divina, cui nihil resistit. Unde hæc est vera: De pane fit corpus Christi; et de his agit per reliquos quinque articulos.

QUÆSTIO LXXVI.

DE MODO QUO CHRISTUS EST IN HOC SACRAMENTO.

I. Ex tam admirabili conversione duo sequuntur valde notanda. Alterum ex parte ipsius Christi, qui ponitur in hoc sacramento; alterum ex parte accidentium remanentium. Et primum tractat in hac quæstione secundum in sequenti. Quoad primum, modus quo Christus est in hoc sacramento consideratur in tribus. Primo, quia hic est totaliter, id est, solum corpus in hoc sacramento

sub qualibet specie, sub qualibet particula; imo et tota illius quantitas, licet non modo extensivo, sed indivisibili; eo quod quantitas sequitur hic modum substantiae, non substantia modum quantitatis. De hoc agit quatuor primis articulis: secundo, consequitur quod Christus non sit hic modo locali, nec ut mobilis localiter, licet per accidens moveatur ad motum specierum. Et

de hoc agit articulo quinto et sexto: tertio, consequitur quod Christus non sit hic modo visibili, nec possit videri, etiam ab oculo gloriose; quando autem apparet Christus in

sacramento in specie carnis, vel pueri, non propterea desinit ibi esse corpus Christi, quia non corrumpuntur accidentia; et de hoc agit duobus ultimis articulis.

QUÆSTIO LXXVII.

DE ACCIDENTIBUS REMANENTIBUS IN HOC
SACRAMENTO.

I. De modo tenente se ex parte accidentium remanentium in hoc sacramento, duo sunt valde mirabilia. Alterum quoad esse: alterum quoad operari, seu pati. Quoad esse miraculum est, quod maneant accidentia sine subjecto, licet quantitas separata sit subjectum aliorum accidentium, et de hoc agit duobus primis articulis; quoad operari autem vel pati, agit reliquis sex articulis,

ostendens quod idem faciunt vel patiuntur ista accidentia, ac si essent in subjecto. Unde possunt res alias active immutare, possunt corrumpi, possunt nutritre, et ex illis aliquid generari: possunt illæ species frangi, potest vino consecratu aliud permisceri, quæ omnia singulis articulis tractat idem S. Thomas.

DISPUTATIO XXVIII.

DE TRANSSUBSTANTIATIONE, ET HIS QUÆ
AD ILLAM CONSEQUUNTUR.

ARTICULUS I.

Stabilitur vera fides de existentia corporis Christi et conversione totius substantiarum in ipsum in hoc sacramento.

I. Circa rem contentam in hoc sacramento tria principaliter docet fides. Primum est, post consecrationem esse in hoc sacramento vere et

realiter corpus et sanguinem Christi sub speciebus consecratis: secundum est, nihil de substantialia panis et vini manere in hoc sacramento, sed sola eorum accidentia: tertium, totam substantialiam panis et vini, tam quoad materiam quam quoad formam converti in corpus et sanguinem Christi; quæ conversio recte dicitur transsubstantiatio. Omnia ista definita sunt in Concilio Tridentino sess. xiv, prout inferius referimus. Et licet pro catholicis sufficientia definitio Ecclesiæ, ut res ista de fide habeatur, tamen pro theologo non sufficit simpliciter credere, sed oportet eos, qui contradicunt, arguere, et veritatem fidei declarare